



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 1. Argumenta partis negativæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

merita quæ fuerunt causa electionis Virginis, ut esset genitrix Christi, non fuerunt à Christo ut à Filio Virginis: Ergo nec merita quæ fuerunt causa redemptionis Virginis, fuerunt à Christo ut à Filio Virginis.

RESPONDETUR. Merita, quæ fuerunt causa electionis Virginis, si completè sumantur quoad omnia decreta & rationis signa, non fuerunt à Filio Virginis. Nego. Si sumantur incomplete. Concedo, distinctoque consequentiam. Nego consequentiam. Porro de redemptione & de meritis Christi loquimur, prout exercita sunt, adeoque prout habet rationem Redemptoris in carne passibili; quantumvis illa merita, prout applicabilia erant ratione alicujus signi & decreti inadæquati, non habuerint formalitatem meriti Filii Virginis. Sed de hoc etiam infra redibit sermo.

DIFFICULTAS II.

An Christus potuerit mereri unionem operibus antecedentibus?

PRÆMITTO 1. Certum esse, quòd omne meritum debeat habere rationem antecedentis, antequam promeritam: consequenter & merita Christi, si promeruerunt unionem hypostaticam, debuerunt habere rationem antecedentiam ante unionem. Ratio: quia merita, sunt quasi motivum & causa præmii, in genere causæ moralis; omnis autem causa, habet rationem antecedentem, ante suum causatum.

PRÆMITTO 2. Merita Christi spectari posse, vel tanquam antecedentia unionem, vel tanquam subsequenta eandem; idque vel antecedentia tempore, vel antecedentia non nisi naturâ. Quòd Christus non potuerit mereri Incarnationem meritis antecedentibus tempore, certum est: nam ipsa natura humana Christi, non præexistit, prius tempore, ante unionem hypostaticam; his ergo restat de meritis antecedentibus naturâ.

PRÆMITTO 3. Difficultatem esse de meritis antecedentibus naturâ unionem, quæ simul essent cum instanti reali unionis, an inquam per talia merita mereri potuerit, licet non sit meritis? quod enim non sit meritis de facto, sensus habet communis Theologorum, fundatus in Aug. lib. de Corrept. & Gratia, c. 11. Ille homo, inquit, et à Verbo Patri coæterno in unione Persona assumptus, Filius Dei Unigenitus esset, unde meruit? hinc locus ille Apocal. Dignus est Agnus accipere divinitatem, explicatur non de unione hypostatica, sed de manifestatione divinitatis. Et quidem vim meriti, de possibili, meritis istis antecedentibus, quæ potius concomitantia appellant alii, tribuit Amicus D. 26. sect. 7. citatque pro se Cajet. Vim autem merendi de possibili unionem hypostaticam, per merita non nisi subsequenta, tribuit iisdem meritis Suar. disp. 10. Sect. 14. sed

cum distinctione; ut censeat, non potuisse Christum mereri primam suam ad unionem hypostaticam prædestinationem: potuisse tamen mereri illius executionem, consentit in sua Idea Petrus à S. Joseph. lib. 2. c. 14. de Christo. Pensanda sunt argumenta utriusque partis.

Punctum Difficultatis 1.

Argumenta Partis Negative.

Quòd non possit mereri Christus unionem per merita concomitantia, velut alii dicunt, antecedentia.

1. FUNDAMENTUM est. Quia, pro illo priori, humanitas nondum est subsistens, subsistentia autem est conditio prærequisita ad operandum: Actiones enim sunt suppositorum.

RESPONDETUR. Subsistentiam esse conditionem, sed non talem, quæ non positâ, etiam divinitus non possit fieri actio. Deinde, in sensu reali, jam tunc est subsistens humanitas Christi, per subsistentiam Verbi.

2. FUNDAMENTUM est Vasq. Quia illud meritum debuit esse ex gratia, utpote supernaturale: non potuit autem esse ex gratia habituali, quia hæc pro illo priori, constitueret Christum Filium adoptivum; nec item ex auxilio actuali præcedente: quia nullum opus potuit esse in Christo, quod non haberet infinitum valorem; ergo non habuit principium operandi aliud ante unionem. Hæc Lugo ex Vasquez.

RESPONDETUR. Potuerunt illa merita proficisci ex gratia habituali, quæ non denominasset Christum adoptivum, quia pro illo priori jam esset unio hypostatica realiter, inferens titulum Filii naturalis. Posset etiam proficisci illud meritum à gratia actuali, habereque infinitum valorem: quia jam pro illo instanti reali, esset natura operans, terminata per Personam VERBI, infinite dignificantem, nihilominus illud meritum, prout in priori naturæ spectatum, & prout præscindens ab unione, pro illo instanti reali non haberet nisi meritum finitum; sicut & modo, actiones Christi, prout præscindunt à dignificatione orta ex Persona, habent valorem non nisi finitum. Addit Lugo. Si contritio in principiis Vasq. præcedit infusionem gratiæ, & tamen oritur ab ipsa gratia; cur non posset operatio Christi præcedere unionem, & tamen oriri à gratia unionis?

3. FUNDAMENTUM est ex Lugo. Anima rationalis, juxta diversos modos essendi, quos potest habere, in corpore, vel extra corpus, habet etiam diversum valde modum operandi; nam dum est in corpore, quia habet modum essendi magis materiale; & quasi materialisatur ab ipso corpore, fit, ut pro eo statu operari non possit, nisi cum aliqua dependentia à corpore; ita

ut nec

ut nec ipsos actus v. g. intellectus exercere possit, sine phantasia, per quod, quasi sapiunt materiam; dum vero est extra corpus, sicut habet alium modum essendi, sic & operandi multo perfectiorem; & sicut anima rationalis in primo instanti suae productionis, licet prius natura existat, quam uniatur corpori, tamen pro illo priori non potest operari, alioqui posset cognoscere seipsam, sine specie impressa, sicut Angelus; debetque expectare unionem cum corpore, per quam accipiat determinatum modum essendi, ad quem consequantur tales vel tales operationes; ita & natura humana Christi, pro illo prior non potest operari, quia nondum habet determinatum modum essendi, quia neque determinatam Personam. Addit Lugo, si natura posset existere sine subsistentia naturaliter, hoc ipso operaretur perfectius, quia haberet modum essendi magis simplicem & independentem.

RESPONDETUR. Cum hic inquiratur implicancia, & eam non afferat Lugo, hoc ipso non convincit fundamentum. Nam imprimis non implicat contradictionem, ut anima pro priori unionis ad corpus, saltem divinitus agat: ergo si ita se habet humanitas Christi, ac illa anima, poterit etiam divinitus agere & mereri, & cur non etiam unionem hypostaticam? quod autem se non intelligat anima, proficiscitur inde; quia pro illo priori naturae, verè jam realiter, est unita anima corpori, utpote producta ad exigentiam ultimarum dispositionum, atque adeo ut forma informans, non autem assistens; consequenter jam unita corpori, & quod sequitur, in operando dependens ab eodem, constitutaque in statu, in quo se non potest ita intelligere, ut se intelligit Angelus. Illud quod assumit, perfectius operaturam naturam, si sine subsistentia operaretur, non convincit; nam nec in Deo si supponeretur carere subsistentia, deberet ex eo perfectior esse ejus operatio, hoc ipso enim careret nunc subsistentiis.

4. FUNDAMENTUM Pontii disp. 38. Theolog. num. 37. Non poterat Christus habere alia opera meritoria, quae non dependerent ab existentia humanitatis ipsius; sed existentia humanitatis ipsius, necessario pendebat ab unionem hypostaticam; sicut enim forma accidentalitereducta, habet esse, mediante unionem ad subiectum: ita & humanitas Christi, habet esse, mediante unionem ad VERBUM; & in hoc consistit dependentia humanitatis à VERBO.

RESPONDETUR. Negando demonstrari, quod existentia ipsius humanitatis, necessario pendeat ab unionem hypostaticam, cum possit haec ipsa esse existentia, sine hac dependentia; non posset autem esse haec, si illi esset essentialis ista dependentia. Formaeducta aliter se habet: quia ipsaeductio, formalisatur per exigentiam, ut ab hac dependenter potentia seu subiecto,

producatur: quam similem exigentiam, non dicit humanitas ad VERBUM; alias non posset existere, nisi exigendo ut sibi uniatur Verbum.

5. FUNDAMENTUM est ex istis, quae affert Suar. disp. 10. Sect. 3. Nulla Persona Angelica vel humana, potest suam praedestinationem ad gloriam mereri: Ergo nec Christus potuit mereri praedestinationem ad unionem hanc, quae est quid excellentius praegloria; & quia, sicut in ceteris praedestinatio est ratio omnis boni supernaturalis, à quo meritum proficiscitur: ita, & in Christi anima & humanitate, à praedestinationem ad unionem omnia proficiscuntur.

RESPONDETUR. Quidquid sit de antecedente, cujus robor tandem resolvitur in hoc axioma; Principium meriti non cadit sub meritum, quam propositionem Petrus à S. Joseph dicit esse veram non nisi de lege ordinaria, consequenter negari posset antecedens; eò quod non implicet principium meriti, cadere sub meritum. Sed pro praesenti, disparitas affertur; quia quod praedestinationem non possit aliquis mereri, ratio est: quia sine praedestinatione, quae trahit collationem mediolorum supernaturalium, non posset haberi principium illorum actuum elicitivum; jam autem sine unionem hypostaticam, natura humana haberet principium meritorum illorum elicitivum, nempe gratiam habitualement, quam non implicat independentem ab unionem hypostaticam, conferri humanitati assumptae. Fieri autem potest, ut aliquis possit majus, & non possit minus, si cetera non sint paria. Unde homo potest generare hominem, non potest generare elephantum. Sic etiam non potest quisquam mereri suam praedestinationem, quae est minus quid, unionem hypostaticam. Ad alia quae affert Suar. solvenda.

NOTO 1. Quamvis defacto data sit gratia Christo intuitu unionis, adeoque illa supposita; non implicat tamen dari eandem non illo intuitu; nec apparet implicancia, cur, cum tali gratia, humanitas unionem mereri non potuerit?

NOTO 2. Si quis non admitteret mutua prioritatem, tueri se posset, quod nec detur inter Incarnationem & merita; imprimis, quia procederent illa merita à gratia, non intuitu Incarnationis data: Deinde, quod opera essent causa Incarnationis, Incarnatio autem, non esset causa illorum operum per se, sed sola gratia.

NOTO 3. Dici posse, illa opera fore infiniti valoris; ita tamen, ut non sub formalitate infiniti valoris, accepti à Persona, mererentur, sed sub formalitate elictorum à gratia; diceretque aliquis, principium meriti elicitivum non cadere sub meritum, cadere autem posse principium dignificativum; eò quod nulla sit in hoc implicancia.

ADDO, ad alia solvenda, quod non alia quidem merita Christi praevidere potuerit Deus, quam quae extitura erant; sed non est necesse, ut

codem

codem modo prævideret illa, saltem in aliquo ligno, quo modo extitura erant: poterant enim, ut dictum supra, inadæquatè prævideri, consequenter poterant prævideri, ut dignificata non nisi à gratia. Unde etiam operatio Christi completè & adæquatè sumpta, idque in decreto completè & adæquatè sumpto, importat subsistentiam VERBI; sed non operatio inadæquatè accepta, & per ordinem ad inadæquatum decretum, & licet decreta operatione, necesse sit decernere & principium illius etiam mediatum, si sit necessarium & indispensabiliter requisitum; sicut tamen non requiritur subsistentia; unde etiam illa opera, secundum quod profecta non nisi à natura elevata per gratiam, & secundum quod dignificata à VERBO, essent quidem eadem materialiter, sed non eadem formaliter.

DICES. Si posset decerni & prævideri naturam operaturam sine subsistentia, id ideo esset, quia non necessario pendet in operando ab hac determinata subsistentia: Ergo etiam poterit decerni natura operaturam, sine ullo principio operandi, & actione; quia etiam natura, non pendet ab hoc determinato principio operativo, & actione.

RESPONDETUR. Negando causalem; non enim ideo præcisè id fit, quia non necessario pendet operatio ab hac determinata subsistentia: sed quia simpliciter potest esse operatio, & non dependere à subsistentia. Quanquam, quod sensu concederet aliquis antecedens, eodem concederet consequens.

Punctum Difficultatis 2.

Argumenta Partis affirmantis.

1. ARGUMENTUM objicit sibi Suarez tale. Quamvis absoluta præscientia meriti, in tali humanitate, non antecesserit electionem ejusdem, tamen præscientia conditionata antecessit; præcivit enim Deus, quod, si assumeret humanitatem, in illa, futura erant magna merita.

RESPONDET in suis principiis Suarez. Sed in ordine ad intentum dici potest, etiam præscientia conditionata meritorum dignificationem jam dignitate increatam, non præcessit electionem conditionatam ad unionem: quia conditionatè prævideri debuissent, sine conditionata dignificatione per VERBUM, atque adeo sine titulo condignitatis ad merendam unionem hypostaticam. Si autem non præcessit præscientia conditionata illorum meritorum, ergo erant quid posterius unionem; si posterius, ergo non poterunt mereri jam se priorem unionem.

2. ARGUMENTUM objicit sibi tale. Potuit humanitas Christi prædestinari prius ad gratiam & gloriam, & in illa sic prædestinata poterunt prævideri merita, propter quæ, ad unionem hypostaticam prædestinaretur.

RESPONDETUR. Hæc merita non fore nisi de congruo, non enim forent dignificata dignitate divinam; consequenter nec induissent rationem condigni meriti.

3. ARGUMENTUM est, Amici. Quod de congruo possit humanitas mereri unionem. Quia scilicet Deus, æterno suo decreto, prius ratione potuit velle efficaciter hanc humanitatem, cum iis gratiæ auxiliis, cum quibus præviderat illam sub quavis subsistentia, sub conditione, bene operaturam; ergo in præmium illorum operum, poterat hujusmodi unionem decernere.

RESPONDETUR. Argumentum ut proponitur non concludit; quia, in præmium meritorum conditionatorum, non datur quidquam absolutum.

4. ARGUMENTUM est à pari.

1. PARITAS. Poterat per nos Christus mereri electionem suæ Matris, etiam per merita subsequenter decretum, de electione Matris: quia poterat mereri per merita ultimò completa morte Christi, quæ mors posterior erat, electione Matris; ergo etiam poterat sibi mereri unionem, per merita sequentia unionem.

RESPONDETUR. Imprimis, tenendo quod Christus sit meritis meritis, licet non morte, electionem hujus matris: non erit jam difficultas; sed tenendo, quod etiam morte id mereatur, recurri debet, ut dictum supra in simili, ad acceptionem mortis, quæ prior fuit electione Virginis, & independens ab eadem; consequenter, in hoc merito, non ostendetur quidquam, quod causaretur ab aliquo posteriori. In præfenti autem præcessit unio hypostatica dignificans merita Christi: consequenter, si tribueretur illius actionibus vis merendi eandem unionem, hoc ipso poneretur, quod prius, causetur ab aliquo posteriori. Rursum, titulus Redemptoris præservativi præcessit signo electionem Matris: qui redemptor præservativus, etiam mortem suam conditionatè obtulit; si obtulit, cum ipsa mors conditionata compleatur sui esse absoluto, etiam illa merita, hoc sensu complebuntur, absolutam morte; nec jam ostendetur, quod aliquid prius, causatum sit, à posteriori: cum illa conditionata mortis oblatio, præcedat electionem Virginis, hocq; non nisi sensu compleatur absolutam morte, quæ est quid posterius Virgine, quia conditionata implentur absoluto. Jam autem quia non potest ostendi, quod conditionata prævisio meriti, condignè merentis unionem hypostaticam, & tamè præcedens eandem, debeat compleri absoluto merito: ideo non potest dici, quod illis sit meritis, tanquam completis, merito absoluto. Quod autem non præcesserit conditionatum meritum de condigno, probatum in responsione ad 1. Posset quis dicere, quod id meritis sit Christus Matri, sed non morte; possetque se tueri, quod etiam in Bulla Alexandri VII. præcitata, ubi agnoscitur Beatissimam